

TRÄGÅRD, ELIAS, HASSELBERG, JONAS, RÖSE

Dissertatio philologica in verum
sensum verborum az huhal liqro
beshem IHVH Genes. IV,26. inqvirens,
qvam affvlgente svmmo nvmine,
svffragante amplissima Facvltate
Philosophica Reg. Pomer. Acad. Gryph

[1782]

EOD - Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 12 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
 - Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
 - *Sök:** Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
 - *Klipp & klistra:** Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).
- *Ej tillgängligt i varje e-bok.

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkor för användning: <https://books2ebooks.eu/csp/sv/nls/sv/agb.html>


Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 40 bibliotek från 12 europeiska länder denna service. Sök böcker tillgängliga för den här tjänsten: <https://search.books2ebooks.eu>
Mer information finns tillgängliga via <https://books2ebooks.eu> boken.

FRÄGÅRD E

Dis. p.
F. J. S.
Geografiskt





כ ש ע

DISSERTATIO PHILOLOGICA
IN
VERVM SENSVM
VERBORVM

אז הוחל לקרא בשם יהוה

Genes. IV, 26.

IN QVIRENS,

QVAM

AFFVLGENTE SVMMO NVMINE,
SVFFRAGANTE AMPLISSIMA FACVLTATE
PHILOSOPHICA

REG. POMER. ACAD. GRYPHICAE,

SVB PRAESIDIO

VIRI AMPLISSIMI ATQVE CELEBERRIMI

MAG. ELIAE Trågård,

PHILOS. PROF. PVBL. REG.

DIE XIX JVNII MDCCLXXXII.

LOCO HORISQVE CONSVETIS

PVBLICO EXAMINI MODESTE SISTIT

JONAS HASSELBERG

Vestro-Gothus.

GRYPHICAE

LITTERIS ANT. FERD. RÔSE, REG. ACAD. TYPOGR.



Red.-bl. birtskuret

1/4

DISSERTATIO VIRO
ADMODUM REVERENDO ET PRAECLARISSIMO
DOMINO
M. BERNHARDO BERONIO

Ecclesiae in Rhâda et Âfaka

PASTORI VIGILANTISSIMO
MERITISSIMO,

FAUTORI OPTIMO

SPECIMEN HOC ACADEMICUM

qua decet observantia

SACRATUM

offert

AUCTOR

J. HASSELBERG.





§. I.

Verba Mosis post narratam Enosi nativitatem: **אן הוּחַל לְקָרָא בְּשֵׁם יְהוָה** Gen. IV, 26. diu multumque S. litterarum interpretes vexarunt, atque tot varias elicuerunt explicationes, ut quaenam illarum genuina sit reputanda dictu sit difficile. Unde non immerito dixit DRUSIUS: (a) *Diu me torset hic locus et etiamnum torquet. Video quos fugiam, non video quos sequar. Tot fere sunt interpretationes, quot interpretes.* LXX reddunt: **Ουτος ηλπισεν επικαλεισθαι το ονομα Κυριου τς Θεου.** *Hic speravit invocare nomen DOMINI Dei.* Targum ONKELOSI: **בְּכֵן כְּיוֹמוֹתָיו חָלוּ בְנֵי אֲנָשָׁא מִלְצַלְחָה** *Tunc in diebus ejus supersederunt filii hominum ab invocando nomen Domini.* Versio Arabica in hunc sensum: *Tunc coeptum fuit invocari nomen DEI;* Syriaca: *Tunc coepit invocare nomen DOMINI.* Obscurum hunc locum clariorem reddere vult Targum IONATHANIS BEN UZIEL nimis forte multa addens, dum verba textus originalis hisce circumseribit: **הוּא דְרָא דְכְּיוֹמוֹתָיו שְׂרִיאוּ לְמַעַן וְעָבְרוּ לְחַוּ מַעַפָּן וּמְכַנְּנֵן לְמַעוֹתָהוֹן בְּשֵׁם מִימְרָה דֵּו** *Illa aetas, in cujus diebus inceperunt errare, et fecerunt sibi idola, et cognominabant idola sua nomine sermonis DOMINI.* Interpretes Europaei itidem a se invicem hic

A 3

discre-

(a) vid. Crit. Angl. ad h. l.

discrepant: quorum VULGATUS pro particula temporis **IN** legisse videtur pronomen **HI** reddens: *Isle coepit invocare nomen DOMINI.* TREMELLIUS: *Tunc coeptum est invocare nomen IEHOVAE.* Sic etiam alii a B. LUTHERO parum discedentes, qui interpretatur: Zu derselbigen Zeit fing man an zu predigen von des Herren Nahmen. Sic etiam versio Danica: *da begynte man at paafalde Herrens navn.* Cum vulgata facit Versio Teutonica Romano Catholica: Dieser fing an den Nahmen des Herren anzuruffen. Ab his diversam plane, veteres quosdam sequens, translationem tradit Teutonica reformata: Da zu mahl fing man an sich zu nennen nach den Nahmen des Herren. Hunc Verborum sensum recentiores quoque interpretes adoptarunt: Ut ill. Equ. et Conf. Aul. MICHAELIS: Um die Zeit fing man an sich nach den Nahmen Iehova zu nennen. Item Translatio Suecana nova: *Da begynte man nämna sig ester Herrans namn.*

§. II.

Circa allatas jam versiones speciatim notandum est, *res* LXX particulam temporis **IN** *tunc* in pronomen **HI** *hic* commutasse, pro ut etjam verbum **הווי** confuderunt cum **הווי** *speravit*, nullo plane sensu. Hos tamen secutum videmus Interpret. VULGATUM, cujus translationis ratio difficulter inveniri poterit. Interpretatio ONKELOSI, quam exhibet editio biblior. Complutensis ab illa variat, quam ex polyglott. VALTONI §. I. adduxi, et convenit propius cum textu hebraeo; habet namque **ככו שוואו כנו אנשא לצלחה בשמה רי** *Tunc coeperunt homines orare in nomine DOMINI.* Priorem tamen lectionem, quam etjam ostendit exemplar BUXTOREII, genuinam cur statuamus non desunt rationes; imprimis cum plerique, et tantum non omnes Iudaeorum Doctores in eam inclinent sententiam: Verum Dei cultum circa tempora nativitatis ENOSI hic narratae, grave passum fuisse detrimentum. Ceterum singulis, quotquot exstant, versionibus inter se collatis, ad tres diversas opiniones translatores inclinasse animadvertimus, quarum quaeque suos nacta est affectas. Sic, ut nuper

nuper innui, Hebraeorum plerique crediderunt, veram Dei notitiam atque religionem, circa tempus, quo nascebatur Enos, admodum fuisse debilitatam, ut parum abfuerit, quin ad incitas redacta esset, ingravescente tunc indies Kainitarum impietate, hocque S. scriptorem verbis hisce controversis dicere voluisse. Quorum imprimis non obscure tendere videtur translatio ONKELOSI, prout illam bibl. polygl. anglicana exprimunt. Quin, quod aperte dicit Targum IONATHANIS, hoc ipso tempore non solum impiorum hominum vitam et mores nefandis operibus contaminatos putant, sed etiam usque adeo impietatem crevisse, ut falsissimas de summo Numine cogitationes fovere inceperint, adeo ut idola quoque sibi formare non vererentur. Alteri sententiae faventes, quorum agmen ducunt LXX Interpr. cultum Dei publicum hoc tempore instaurari coeptum contendunt. Etenim explicatis in antecessum verbo וְהוּחַל et phrasi: לְקַרְא כִּשְׁם יְהוָה, (de quibus mox plura sunt dicenda) cum, ajunt, ante id temporis sine dubitatione primi parentes, pii illorum filii et nepotes nomen Domini invocassent, id demum, cum in lucem ederet Enos, fieri coeptum credi nequaquam potest. Duplici igitur sensu invocationem nominis Divini sumi volunt; aut nimirum pro invocatione privata, aut publica. Illa inde ab exordio mundi locum habuit, quamdiu Adam, ejus filii et filiae, qui unicam familiam constituebant, cultum divinum devotis precibus, oblationibus veramque Dei notitiam docendo discendoque celebrabant. Dein, cum plures familiarum patres, quisque cum suis in sua domo, idem patrarent. Hunc vero cultum diebus Enosi institutum in eo constituisse autumant, quod plures, ex pii Sethi posteris familiae, a Kainitis segregatae sacra peregerint. Tertia denique sententia, ab utraque priorum diversa, illorum est, qui existimant locutione controversa Moſen tantummodo indicare voluisse, tempore Enosi piis Sethi propinquis et posteris morem fuisse receptum a nomine DOMINI se filios Dei nuncupandi. Gen. VI, 2. 4. quo ab impiis Kainitis quasi singulari nota distinctos se voluerunt.

Pro prima sententia qui pugnant in duas non incommode dividi possunt classes, quarum tamen unaquaeque suam opinionem ad probandam provocat ad verbum hoc in contextu obveniens הוהל, quod alii in mitiorem, in pessimam partem alii interpretantur. Illi explicant per *desit*, *defuit*, *superfedit*, *debilitatum fuit*. Illud placuisse videtur ONKELOSO reddenti *הוהל כני נפש* *deserunt*, vel *superfederunt filii hominis* §. I. At alii Rabbinii, ut Raschi ad h. l. Kimchi in *libr. rad.* Majmonides in *Avoda sacra* c. i. R. Gedalias in *Schalschelet hakkab.* pag. 92. ad quos accedunt e Christianis Seldenus de *Dis Syris prolegom.* pag. 28. et Ursinus in *miscell.* mihi citati a D. PFEIFFERO, (a) notionem *profanatum est* approbant, adeoque verba Mosis vertunt: *Tunc profanatum est invocando nomen DOMINI.* Et quidem versionem ad confirmandam adducunt dictum, Lev. XIX, 8. 12, Ubi eadem rad. הלה in conj. Piel obvenit, et aliter quam per *profonare* verti nequit, ideoque hic in Hoph. *profanatum* reddi debet. Et siquidem summa nominis Divini profanatio esset illud idolis vel aliis quibusvis rebus creatis addere, quod Israelitae et Aron in deserto fecerunt Exod. XXXII, 4. 5. in eandem, quam IONATH. UZIELIDES prodit, suspicionem inciderunt, originem videlicet idololatriae hic doceri, quasi dixisset Moses: *Nomen, quod totius mundi Creatorem et Dominum denotat, rebus creatis impie tributum.* Hoc quoque Fl. Iosephus innuere voluisse videtur CLERICO, (b) dum scribit, per septem generationes homines unicum DEum opt. max. δεσποτην ειναι των ολων sensisse; deinceps vero ex των πατρων εθεσμων degenerasse, hoc est, res creatas, seu coelestia corpora adorasse. Hanc vero violentam esse verborum sacrorum *Vocari in nomine Dei* detorsionem laudatus Auctor pronunciat, nec vivo Adamo idololatriam coepisse, quidquid de illo aevo fabulosa Rabbinorum natio narret, verisimile illi videtur. Et sane tanto longius a veritate hoc absit necesse est, cum ab ipso Deo acceptam religionem quin primi parentes filios et posteros

(a) Dub. Vex. ad h. l.

(b) Comm. in Genes, ad h. l.

stros suos docuerint est, de quo non dubitandum. Et si horum ab illis accepta rerum divinarum cognitio, in errores et haereses degenerasset, pius pater, quatenus ipse non defecisset a vero DEi cultu, id quod nusquam de eo legitur, illos corrigere atque in viam rectam reducere et voluisse et potuisse censendus est. Praeterea, ex paucissimis istis, quae de statu et vita hominum spatio temporis, quod inter creationem mundi et diluvium intercessit novimus, illos ad atheismum quam ad superstitionem procliviores fuisse concludendi rationem habemus. Scilicet S. scriptor in sequentibus Cap. VI, v. 4. narrat, tempore, quo conjugia filii Dei cum filiabus hominum inibant, prognatos fuisse נפלים *gigantes*, quos, ut docet FAGIUS (c) et plures, sic nominatos credunt, quod reliquos homines propter immodicam eorum proceritatem coram illis quasi cadere videbantur; nomen quippe derivatum a rad. נפל, quae *cadere* notat. Potius autem crederem, non tam ad proceram istorum hominum staturam, quam potius ad violentos eorum mores, ea tamen non exclusa, hoc nomine respici; quod scilicet, cum nomen derivatum sit ex hiphil, alios homines cadere fecerunt, i. e. violenter oppresserunt, rapinis, latrociniis et caedibus robore suo freti grassati sunt, contemptores DEi se exhibuerunt, quales Poëtae Ethnici fingunt gigantes, qui captivo voluerunt injicere brachia coelo. In rationes autem phycas curiosius inquirere, cur ex filiis Dei et filiabus hominum, feu maritis piis et impiis mulieribus homines in immanis staturae corporibus animum flagitiis depravatum gerentes, nascerentur, quod ex nonnullis versionibus facile quis concluderet, aut cur eo potius, quam alio tempore provenirent, est opus, quod in memet haud suscipio. Verissimam credo esse habendam explicationem illustr. et Celeb. MICHAELIS: (d) Bis da- her hatte sich das menschliche Geschlecht in zwey große Theile getheilet: der bessere, der einen Gott glaubte, und ihn durch Gebet, und Opfer, oder andern Ceremonien verehrte, benannte sich von dem wahren Gott, Söhne Gottes: die übrigen, die nicht in Aberglauben

(c) Crit. Angl. ad h. l.

(d) Anmerk. zum 1 B. Mosss. C. VI, 2.

glauben (denn von dem finden wir vor der Sündfluth keine Spur) sondern in völligen Unglauben versunken waren, und vermuthlich alles was Adam ihnen, von Gott und seiner Offenbarung erzählte, für listige Erdichtungen ihres Stammvaters hielten, nennet Moses, Söhne der Menschen. So lange dieses der Zustand der Welt blieb, ward das Verderben nicht allgemein: Allein, durch Schönheit verleitet, heirateten endlich diejenigen, die noch einen Gott und eine Religion hatten, in die Familien der völlig Ungläubigen, und nun brach die Verleugnung der Religion, mit ihren schrecklichen nie von ihr zu trennenden Gefolge, auch in die beheren Familien ein; Laster, Blutvergießen und Unglauben wurden allgemein. Sic pū mariti illecebris irretiti a conjugibus formosis ad impietatem allecti sunt; Unde factum, ut pravi parentes filios deteriores, mox duros progeniem scelestiorem progenerarint. Hi corrupti illorum mores clarius, licet paucis, v. hujus capituli II. et 12. memorantur: Terra erat plena injuriis et omnis caroviam suam corruerat. Quae utique verba idololatriae et superstitioni illos non fuisse deditos satis superque indicant atque testantur.

§. IV.

Alia dicti nostri explicatio pluribus magis placet, qua Verbo קראו significatus tribuitur *coepitum est*, et קראו *invocari vel invocare*. Prius vult DRUSIUS (e) h. m. reddens: *Tunc coepit invocari in nomine Dei*. Porro puto, inquit, ita vertendum; ut dicat, eo tempore ritus certos colendi DEum institutos fuisse, quos observarunt filii DEi h. e. membra ecclesiae, quam in posteris Seth haesisse multi arbitrantur. Ut sit, invocatur DEum, qui colitur: Unde invocatio pro toto cultu usurpatur, qui tum potissimum consistebat (non dum enim sacramenta instituta erant) in quatuor generibus, videlicet in invocatione, gratiarum actione, praedicatione verbi et confessione. Ceterum ne quis omnino scrupulus remaneat, קראו in kal interpretatus sum invocari passive ut Ps. LI, 6. קראו cum tu judicaris. Prov. XXV, 7. טוב אמר לך bonum (vel melius est)

cicā

(e) l. f. cit.

dici tibi: Haec ille. Et quidem nil plane interest, utra versio assumatur, nec sensui, quem hujus sententiae fautores invenisse volunt, dum hic innui contendunt, eo tempore cultum DEI publicum instauratum fuisse, quidquam derogatur, sive phrasis לקרא הוהל reddatur: *Tum coeptum est invocare*, an vero: *Tum coeptum est invocari*. Prius enim verbum הוהל non potest non verti passively, quippe Hophal; et posterius לקרא si active sumatur, genio linguae hebr. congruens est, in qua, dum duo verba concurrunt, infinito ל saepius praepositur, ut Genes. VI, 1. החל אדם לרבו *coepit homo multiplicare*. (Verb. stat.) vel multus esse, cap. X, 8. החל להוהו גבר *coepit potens esse*. Neque si explicas *per invocari*, ullo modo tum sensus mutatur, cum verba activa Hebraeorum in gerundio posita significatum passivum habere exempla a nuper laudato DRUSIO allata commonstrent. Eadem phrasis de Abrahamo obvenit Genes. XII, 8. *Et aedificavit ibi altare DOMINO* בשם יהוה ויקרא *et invocavit nomen DOMINI*. Quo satis probabile cultum DEI publicum innui judicant a pio Patriarcha celebratum; siquidem haud dubitandum, quin saepius ante id temporis nomen DEI invocaverit privatim cum familia sua; hic vero publice praesentibus aliis, ad familiam ejus non pertinentibus, ut Lotho omnibusque, qui cum eo erant, quorum numerus, ut contextus credere jubet, non fuisse exiguus videtur. Praeterea, ajunt, ubicunque alias in scriptis V. Testamenti obvenit verbum קרא constructum cum בשם יהוה, denotat cultum divinum, praedicationem scilicet verbi divini et invocationem DEI ut Genes. XIII, 4. Ps. LXXX, 19. Zeph. III, 9. Ioël III, 5. Imo, huic opinioni de cultu publico instaurato robur conciliare voluit D. Danzius, dicente WÖLDIKE, (f) ex ipso nomine huic Sethi filio imposito אנוש, quod in Arabismo *unitam societatem inire* notabit. Denique haud parum pro hac sententia pugnare ipsum contextum, cum pluribus credit D. PFEIFFERUS (g). Scilicet admodum verisimile

B 2

putat,

(f) Vid. Hamburg. Berichte von gelehrten Sachen. Ao. 1735. p. 86.

(g) l. f. cit.

putat, non plane omittere voluisse Mosen facta et inventa filiorum Sethi commemorare, inter quae maxime memorabile fuit instaurationis cultus divini publici, postquam de inventis Kainitarum, agriculturam puta ipsius Kaini, atque aedificationem urbis ab illo susceptam, v. 17. rem pecuariam Iubalis, v. 20. musicam Iubalis v. 21. et artem fabrilem Tuabl Kaini v. 22. perspicuis verbis mentionem fecerat.

§. V.

Tertiae opinioni qui suum addunt calculum, in explicatione vocis ambiguae הוּחַל cum praecedentibus conveniunt, illam per *coeptum est* vertentes. At, qua sequentia verba לקרא בשם ורוה ab illis discedunt reddentes: *Denominari a nomine DOMINI.* Hisce narrare credunt Mosen, tunc Sethi posteros vero DEi cultui adhuc adhaerentes coepisse ab impiis Kainitis sese segregare et peculiari nomine *filii Dei* nuncupari. Quae quidem sententia ex ipsa cohaerentia textus plus roboris nanciscitur, quam nuper exposita lucratur ex narratione inventarum artium, quae ad usum vitae necessariae sunt. Occurrit enim ista demominatio piis addita mox infra Cap. VI, 2. 4 כְּנִי אֱלֹהִים *filii DEi*, cujus adeo hic in antecessum ab auctore S. ratio reddi censenda est. Phrasologia hebr. ad quam provocatur §. praec: sententiae ibi expositae nullum pondus prae haecce super addit, quatenus בשם aequè significat *de nomine*, ac *in nomine*, prout nec desunt loca V. Tti, in quibus locutio קרא בשם omnino transferenda latine *de nomine alicujus vocare*. Sic Num. XXXII, 42. *vocavit eam נבַח de nomine suo.* Esai LXIII, 7. *כל הנקרא בשמי* *omnis qui vocatur de nomine meo.* Cap. XLIV, 5. *בשם ישראל יכנה* *de nomine Israël cognominabitur.* Cap. XLVIII, 1. *audite domus Jacobi nominati de nomine Israël,* et saepius. Quae alias laud. PREEFFERUS §. praec. huic objicit: 1° si iste esset sensus, potius diceretur להקרא *vocari*, quam לקרא *vocare*, vim suam amittit ex annotatione ibidem cit. DRUSII, verbum activum in gerundio positum significationem habere passivi, id quod exemplis ibidem allatis probatur. Ad II^{um} quod attinet. Pios ejus

ejus aetatis non vocatos fuisse בני יהוה, sed אלהים; rem eodem recidere existimarem, quatenus ille אלהים, de cuius nomine pii vocabantur Cap. VI, 2. 4. idem ille est DEUS, quem hoc loco nomine tetragrammato Moses appellat. Ut taceam, non sine gravissimis rationibus dubitari, an sanctissimum nomen יהוה cuiquam mortalium isto aevo fuerit cognitum, de quo videatur ill. MICHAELIS (h). Haec sententia de cognomine a nomine Domini sumto etjam fedisse videtur AQUILAE h. m. interpretanti *τοτε ηρχθη τς καλειν εν ονοματι Κυρις*, quam interpretationem, quippe cum vocibus apprime convenientem, se potissimum sequi velle fatetur CLERICUS, (i) hoc est inquit, tum Sethi posteri de nomine DEi vocari coeperunt ut ab aliis distinguerentur. Pars filii DEi vocabantur, pars filii hominum, ut ex cap. VI, 2. apparet.

§. VI.

Expositis jam tribus primariis interpretum et criticorum sententiis de vexato hoc Geneseos loco, adjectis etiam rationibus, quibus singulae nituntur, meam de illis aperire licet opinionem, et qui potissimum ut verus atque genuinus verborum sensus sit assumendus indicare. Prima explicatio, cui, praeter Iudaeorum Doctores, Christianos nonnullos addictos vidimus, paucis, ut puto, placere poterit. Primo enim in nimis antiqua tempora originem idololatriae rejiciunt, nullam id statuendi ansam verbis scriptoris sacri praebentibus. Quin et res circumstantes primi istius aevi, quod inter creationem mundi et diluvium intercessit, id quominus credamus impediunt, vid. dicta §. III. Explicatio verbi יהוה per *profanatum est*, aliam etiam ob rationem hic non satis quadrare videtur. Eam assert Gussetius (k), cujus sunt verba: יהוה referendum non est ad profanationem, si sequimur verborum indolem. Eo facit res ipsa. Nam misso, quod Kain jam profanationem nominis Dei invexerat ante natalia Sethi, praepostere sane hic apponeretur profanatio

B 3

nominis

(h) l. f. §. III. cit.

(i) l. f. cit.

(k) Comment. ling. hebr. ad

rad. אֱלֹהִים

nominis Dei, subiecto minime consentaneo, quin potius contrario, nempe Enoso Sethi filio, qui viri nomen Dei sancte coluerunt. At haud admodum longe a veritate abesse mihi quidem videtur sensus, qui elici potest ex versione ONKELOSI §. I. Tunc חלי דסערנט פילי הומונום אב אינוואנדו נומנו דעי, ut verba sonant in Polygl. VALTONI. Vel potius: debiles facti sunt in invocando etc. Verbum enim hebraeorum חולל exponitur per vocem chaldaeam חלה tanquam idem significantem in chaldaismo, scilicet infirmus, aegrotus esse, aegrotare. Vide BUXTORF (1). Quin et in hebraismo rad. חלל unde nostrum Hoph. חולל aliquando debilitatis, vel aegritudinis notionem involvere deprehenditur, talis nimirum, qualis eorum sunt, qui letaliter faucii sunt, ut Ps. LXIX, 27. מכאוב חלליך dolor confessorum tuorum i. e. debilitium. Ps. CIX, 22. בקרבי לבי חלל cor meum confossum debile in me. Quod valde debilitatum est ad cessationem tendit, ut letaliter confossum a fine vitae non procul abest. Praeterea radices cognatae חלה et חלה in sensu proprio aegrotare, nominal. morbus, infirmitas corporis vel animi saepius in codice S. Hebr. occurrunt, ut 1 Sam. XXII, 8. 1 Reg. XIV, 1. Jes. LIII, 10. Jer. XII, 13. 2 Paral. XVI, 12. Itaque qua sensum verba reddi possent. Tunc invocare nomen Domini, seu invocatio nominis Dei debilitata fuit, i. e. fere desit. Ad hoc Sethus imposito filio nomine אנש a rad. אנש debilis, aegritudine confectus fuit, allusisse non sine omni plane probabilitate, quantum mihi videre datum, censendus est. Huic expositioni quae in sequentibus narratur utique favent. Dum legimus, homines indies magis magisque in atrocissimam impietatem, violentiam, rapinas et quaevis alia nefanda scelera fuisse prolapsos; quae patrare continuarunt, donec totum genus humanum, familia Noachi excepta, in diluvio periret, et tam duro remedio teris tantam Deus pestem averteret.

§. VII.

Cultum Dei publicum circa tempus nativitatis Enosi instauratum fuisse, idque hisce Mosis verbis commemorari, est quidem


(1) Lex. Chald. Talm. ad rad. חלה


quidem opinio plurimis recepta. At paulo accuratius eadem si consideratur, suis quoque laborare incommodis deprehenditur. Imprimis hoc statuentes in antecessum definire debuissent, quid per cultum publicum, quid per privatum intelligi velint. Cultum summi Numinis ipsum Adamum, et quidem dudum in paradiso, exercuisse, non est, quod quisquam neget. Dein post tristissimum lapsum ex horto Eden ejectus, quin filios filiasque vera religione imbuerit, et una cum illis piis precibus Deum invocaverit itidem minime est dubitandum. Hunc cultum, cum totum genus humanum unica tantum familia constans simul exerceret, pari utique jure publicus ac privatus dici potuit. Sequenti tempore cum familiae multiplicarentur, verisimile quidem est, singulos familiarum patres, quatenus statuimus, familias in locis longe a se invicem distantibus habitasse, cum filiis suis et proxima posteritate religionis exercitia frequentasse, illud alio quam cultus privati nomine, nostro saltem loquendi more, venire nequit, ni mavis dicendum, particulares, ut vocantur, ecclesias institutas fuisse, quo tamen in casu eadem harum ratio fuit, ac ecclesiae Adami, ut cultus pari jure publicus et privatus dici potuerit. Sin vero ad primum patrem per nongentos et triginta, quos vixit annos, et illo mortuo, ad seniore omnium familiarum, quae verae religioni adhaerebant, tota pia posteritas ad sacra facienda congregata fuerit, quod tamen, ob dictam nuper rationem, vix credi potest, publicus quidem is cultus nominari potuit; sed exstitit longe ante Eno sum. Hinc ut mihi videtur, distinctio ista in cultum privatum et publicum huic loco controverso parum lucis affert. Nec publicus ille cultus diu duravit; cum plus quam centum et viginti annos, antequam irumperet diluvium, oppido in privatum mutatus fuerit, dum in unica tantum familia Noachi vera religio et pietas conservabatur. Denique nec *συναφεια* textus, ad quam cum ΠΡΕΙΦΕΡΟ et aliis recentiorum plerique provocant, rem conficit: dum scilicet inventa Kainitarum pluribus descripta sunt, verisimile haberi debere, etiam praestantissimi inventi Sethitarum aliquam Mosen facere voluisse mentionem; id quod verbis
con-

controverſis factum putant. Verum enim vero, aedificatio ur-
 bis Kaini, bigamia Lamechi, artes ad vitam ſuſtentandam, vel
 faltem ſine ſummis moleſtiis tranſigendam neceſſariae, quae
 inventae hic narrantur, reapse Kainitarum erant inventa; adeo-
 que ab auctore, primordia rerum deſcribente, memorari de-
 buerunt. At cultus divinus inventum Sethitarum non fuit,
 quippe ab ipſo Deo inſtitutus, et per Adamum ad poſteros pro-
 pagatus; ideoque hic nulla comparatio, ad quam textus reſpi-
 cere credi poteſt. Contra vero, opinionem ONKELOSI, ſecun-
 dum datam ſupra verborum ejus explicationem, de cultu di-
 vino magis magisque inde a nato Enoſo ad diluvium uſque
 decreſcente, vel debilitato, in ſequentibus narrata corrobo-
 rant. Quemadmodum in ſeqv. Capite VI^o non minus illorum
 contextus favet partibus, qui pios Sethitas circa hoc tempus
 a nomine Dei, ut ſigno diacritico, denominari coepiſſe ſta-
 tuunt. Harum igitur explicationum alterutra, quin reliquis,
 quotquot ſint, praeferri debeat, non multum dubito.

S. D. G.







www.books2ebooks.eu